

majus excogitari queat, non video. Quid vero vetat, cum res ipsa, nemine facile contradicente, praeclara sit, nomen etiam illi conveniens adhibere, & docentem in Ecclesia & voce & scriptis nominare Doctorem, publicoque honoris testimonio eum cohonestare? Praecipue ubi illa dignitatis collatio Academiis earumque Facultatibus concessa, stimulos secum fert satis valentes, ad dona divinitus collata ulterius augenda, crebro literarum sacrarum usu, studiorumque sanctorum cultu locupletanda, quod exemplis praestantissimorum Theologorum haud difficulter probari potest: neque soleat aut debeat conferri, nisi viris, non uno saltem dono jam praeditis, & maturitate praeterea annorum gaudentibus, quod ex historia ipsa **MARBACHIORVM** constat. Utut enim Pater *Joannes* ob eximiam suam eruditionem in Academia nostra Wittebergensi a *Martino Luthero* A. 1543. die 16. Februarii vigesimo tertio aetatis anno Doctor renunciatus, ac publico eruditionis Theologicae elogio ab ipso exornatus sit, quod primum inter Epistolas Marbachianas, a **B. FECHTIO** editas, locum occupat: Filiis tamen ejus *Erasmio & Philippo* honor ille aliquamdiu denegatus, vel potius dilatus, est a Theologis Rostochiensibus, non ex defectu ullo meritorum, sed solius aetatis intuitu. *Requiruntur*, ita scribit **SIMON PAULI** ad Patrem, in *Doctore Theologiae non tantum eruditio, eloquentia, pietas, modestia, vitae innocentia & gravitas, quae virtutes omnes in filiis tuis sunt eximiae & illustres, sed etiam autoritas incurrens in oculos, magnus & excelsus animus, constanter contemnens calumnias, & patientia fortiter perferens atrocissimas injurias.* Ep. 123. p. 448. Quas ipsas tamen dotes cum dederit interdum Deus in ipsa aetate juvenili, ut & senili prudentia & gravi-